



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Jn Caput primum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

scripto Monasterij Rebdorffensis prope Aichstadium exhibemus; cuius vt & vitæ S. Henrici Imp. ex diuine Bibliotheca copiam benignè nobis fecit admodum Reuerendus Pater *Leonardus Craus*, loci illius Prior vigilantissimus. Postea veteris cuiusdam codicis apographum misit ad nos, admodum Reuerendus & Clarissimus Dominus Doctor *Fridericus Fornerus*, Vicarius Bambergensis; ex quo Exemplar Codicis Rebdorffensis auximus ac suppleuimus non vno loco.

Quod ad nomen ipsum attinet, variè scribitur; *Cunegundis*, *Chunigundis*, *Chunegunda*, *Chunigund*, *Chunicund*, *Chynegundis*; & significat Regis fauorem; nam *Kunic*, *Chunic*, *Kuning*, hodieque nonnullis per cōtractionem, *Küng*, *Chynig*, *Chyne* Rex est; & gund; gund; hoc est, fauor. Ad eandem formam cusa sunt, *Chynibild*, *Chunilda* & *Chunigilda*, Regis amor. Item, *Chunidrud*, Regis fiducia. *Chunipret*, Regis fama, vel pompa. Nam *Drau*, *Drou* fides est, *Drauen*, *Drouen*, fidere, fidem habere. Hinc *Gertruda*, *Ariodruda*. *Himeltraud*, *Himeldrud* quæ a celo fidit. Porro *Chunigildam*, vxorem Henrici III. Regis & Imperatoris II. qui fuit filius Cōradi Salici Imp. (quam *VVip* po nominat *Chunelindem*) nonnulli Auctores, nominatim *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi, confundere videntur cum nostra *Chunegunda*, S. Henrici coniuge; quæ & *Eliphdruda* vocabatur, teste *Hermann*o in Chronico. Fuit autem *Chunegundis* filia *Siffridi* Palatini Rheni, vt *Fabricius* in Originibus Saxonibus, *Cuspinianus*, & alij tradunt; licet aliis refragantibus.

Sectiones in capita in utroque exemplari deerant; quas nos maioris claritatis adhibendas censuimus. Sunt enim velut certa viarum spatia, quæ iam olim, teste S. Hieronymo in cap. vlt. *Ioëlis* Prophetæ, vniuersa Germania *Rastis* vocabatur; à quiete procul dubio, quæ hodieque Germanis est *Rast* / vt & *quiescere* *Rastis* à Græco *ῥασις*.

In Caput primum.



Generalis Titulus Cod. Rebdorff. est iste. Incipit vita
S. Kunegundis Regina.
(Ex Præclaro parentum sanguine)